

# Die Urkunden der Burgundischen Rudolfinger, 116

In nomine sanctae et individue trinitatis. Rvodolfus dei gracia rex. Itaque priscae consuetudinis seriem regalisque dignitatis morem considerantes, si totis nisibus totoque mentis affectu incessanter deo famulantibus placabiles esse cupimus, deum omnipotentem, qui genus humanum a dominatu antiqui hostis liberavit, nobis ob hoc remuneratorem promereri confidimus. Quapropter cognitum fieri volumus cunctis nostri regni principibus tam presentibus quam absentibus nec non coenobiorum ordinibus, qualiter pro remedio animae nostre cuidam monasterio nomine Salsensi in honore sancti Petri nec non et bonae memoriae Adelheite imperatricis constructo, cui preest dominus et spiritalis pater Kerbertus, per hoc nostrae auctoritatis preceptum concessimus et de nostro iure in ius monasterii atque ad serviendum Salsensium monachorum haec duo mancipia his nominibus: Uodalricum et Uuielam, concedimus; has predictas res conditori deo et redemptori nostro eiusque pie matri Mariae predicta mancipia et iam dicto Salsensi cenobio ad tenendum et iure perpetuo possidendum, sine cuiuslibet personae vel nobis succedentis in regimine seu cuiuscumque ordinis vel dignitatis contradictione. Et ut hoc nostrae auctoritatis preceptum firmissimum stabileque maneat in evum, sigilli nostri inpressione ex more sigillare iussimus.

Signum domni Rvodolfi regis nobilissimi (MF.)

Acta sunt haec Pinprinza, anno incarnationis domini MXXV, regnante Ruodolfo rege anno XXXVI. (SI. D.)

Hupertus cancellarius iussu regis scripsit VIII ID. AUG., luna III.